

§ VIII.

135. Constat inde fieri quidem posse ut vera Ecclesia lateat abscondita, & aspectabilis eius forma atque gloria non semper in oculos incurrat: licet ipsa nunquam deficiat.

136. Vtrumque enim fuit prædictum: Et quòd Ecclesia suum decus atque splendorem foràs etiam sit editura: & quòd tanta futura sit seductio, ut si fieri possit, in errorem inducerentur etiam electi: exurgentibus pseudochristis & pseudopphetis, Matth. 24, 24. sedente in templo DE I, filio perditionis, homine peccati Antichristo, 2. Thes. 2, 4. & meretrice nobili illa, Babylone Mystica (Ecclesia Romana) poculo scortationis suæ corrumpente terram, & inebriante in eam gentes & populos, Apocal. 13, 7. & 8. 17, 2. 18, 3.

137. Impudens ergò est postulatum Romanensium, monstrari sibi flagitantium talem Ecclesiam superioris seculi, quæ quoad publicum ministerium, & formam aspectabilem cum Lutheranæ per omnia congruerit.

138. Nam latuisse tùm veram Ecclesiam iam demonstravimus: Sed Quoad ministerium, tum demum formæ aspectabilis iacturam Ecclesia facere putanda esset, si prorsus omni careret ministerio.

139. Iam verò forma illa aspectabilis Ecclesiæ, non in flagitioso tantùm, quoad vitam & mores